

No. 56. 1165. 26. Febr.

Kaiser Friedrich I. übergibt der Stiftskirche das ihm vom K. Wladislaw von Böhmen zur Entschädigung für die derselben zugefügten Verluste aufgelassene zu den Reichslehen gehörige Dorf Prezez im Gau Milzana. Vgl. No. 54.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Fredericus divina favente cleméntia Romanorum imperator augustus. Divinis et salutaribus sanctarum scripturarum erudimur documentis, et praedecessorum nostrorum regum et imperatorum frequenter admonemur exemplis, ut ecclesias dei summa devotione ac benignitate ditemus, easque modis quibus possumus munere gratiae nostrae ampliare et sublimare non cessemus. Omnibus igitur imperii nostri fidelibus tam futuris quam praesentibus notum esse volumus, quod nos divinae remunerationis intuitu et pro remedio animae nostrae ex imperiali clementia villam quandam Prezez nuncupatam, in pago Milzana sitam, ecclesiae Misinensi, quae in honore beati Johannis apostoli et evangelistae et beati Donati consecrata est, cum omnibus pertinentiis eius concessimus, tam in agris, quam in silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, molis et molendinis, piscationibus et venationibus, terris cultis et incultis, exitibus et redditibus et cum omni iure et servitio et utilitate, quae nunc eidem villae inest vel in posterum poterit provenire. Noverit etiam omnium tam futurorum quam praesentium fidelitas, qualiter dilectus noster Wladizlaus Boemorum rex praefatam villam, quam in beneficium a nobis habebat, pro praeda et incendio, quod Misinensi ecclesiae intulerat, in restauratione dampni in manus nostras resignavit ea conditione, quod de manu nostra praedictae ecclesiae concederemus et auctoritate privilegii huius ei confirmarem, quod et factum est, sicut praesens pagina testatur. Statuentes itaque imperiali auctoritate praecipimus, ut nulla persona parva vel magna de eadem villa vel de pertinentiis eius ipsam Misinensem ecclesiam inquietare audeat vel in aliquo praesumat molestare. Si quis enim aliquo ausu temerario hanc nostrae donationis et confirmationis exhibitionem infringere attemptaverit, XXⁱⁱ libras auri puri pro poena componat, medietatem fisco nostro et reliquam medietatem ecclesiae Misinensi. Huius rei testes sunt Wladizlaus rex et fratres eius Tipoldus et Heinricus, Wicmannus Magdeburgensis archiepiscopus, Euerardus Bambergensis episcopus, H. Verdensis episcopus, Daniel Pragensis episcopus, Gerungus Misinensis episcopus, Johannes Mersburgensis episcopus, marchio Albertus, marchio Otto, marchio Theodoricus, landgravius Loduicus, comes Dedo, comes Heinricus, comes Fredericus, praefectus Misinensis Herimannus, et alii quam plures.

Signum domini Frederici Romanorum imperatoris invictissimi. (L. M.)

Acta sunt haec anno dominicae incarnationis M^o C. LXV. indictione XIII^a regnante domino Frederico Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni eius XIII^o imperii vero X^o feliciter amen.

Datum apud Altenburg III. Kal. Martii.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit aufgedrücktem wohlgehaltenem Siegel.

Calles series epp. p. 133. — v. Büнау Leben u. Thaten K. Friedrichs I. S. 427. — Köhler cod. dipl. Lus. I. S. 23. angeblich vom Orig. — Im Auszug Erben regesta Bohem. p. 136.